

109

107

113

103

118

098

158

058

208

008

Ende

Anfang

94

contingere possemus. Nam terrae sanctae peregrini solent secum ad loca sancta deferre annulos aureos, vel argenteos dilectos, et grana lapidum pretiosorum pro paternostris, \*) patriloquiis, vel ipsa paternostra, cruces parvas de argento vel auro, et quaeque chara portabilia, quae vel de parentibus suis et amicis accipiunt, vel Venetiis aut in transmarinis partibus pro sibi charis emunt, et quando ad aliquas reliquias veniunt, vel ad aliquem locum sanctum, tunc illa clenodia ad reliquias applicant vel ad locum sanctum et ea contingunt, ut quandam sanctitatem quodammodo ex contactu accipient; et ita suis charis chariora et pretiosora reddantur. Ego enim fui minimus, et pauperior in nostra societate, et tamen multa preciosa clenodia habui, quae mihi collata fuerant ab amicis et fautoribus et fautricibus meis, ut reliquias, ad quas venirem et loca sancta cum eis contingerem, et eis pro munere reportarem. Inter alia magnificus vir, Dominus Johannes Echinger, pro tunc Magister-civium Ulmensis, contulit mihi annulum suum charissimum, quem Pater suus Jacobus Echinger in extremis agens de pollice traxit, et filio tradidit, sicut et ipse a suo patre acceperat: credo quod charior sibi fuerit, quam C. ducati, et nunc charior quam CC. Sic ergo post populi recessum accessimus, et modo dicto reliquias sanctorum Apostolorum contingimus. Hoc autem fuit Officium meum (**B**), quod circa reliquias vel loca sancta accepi omnium peregrinorum saecularium clenodia, et manu mea adhibui ad contactum et ita singula singulis reddidi. Plures autem nobiles semper penes me dereliquerant. Et ita fecimus per omnia loca sancta et reliquias totius peregrinationis, incipientes in Tridentino a puero Symone. Itaque istis peractis in hospitium navigavimus ad prandium.

Secunda die Maii transivimus mane ad S. Marcum, et ibi Missis interfuimus in ecclesia magna S. Marci. De ecclesia autem Missis finitis palatum Ducus Venetorum ingressi sumus,

\*) Signa granorum, quibus fideles numerum orationum suarum numerant, quae dicuntur vulgariter paternoster latine dicuntur patriloquia, neutro genere, hoc patriloquium; sic enim nominat signa illa venerabilis dominus Johannes de Lamshaym Canonicus Regularis in Hirsgarten prope Wormatiam, in libello de Fraternitate Rosarii B. Mariae virginis, quem edidit, Cap. 6.

